

bitur possessio bonorum reformationum consanguineis mortuae illius mulieris ut eam mulier vidua possidebat, quam possessionem statuimus absque iuris strepitu, constituto duntaxat de iure reformationis, et de possessione per mulierem ad tempora vitae habita, dandum per loci capitaneos his quibus dotis debetur redditio.

Iam vero hic finem faciemus nostris in Radom institutis suprascriptis, quae olim voto communi praelatorum spiritualium et saecularium ac procerum Regni et nuntiorum terrarum constituimus, anno et die et loco, supra scriptis praesentibus reverendissimis et reverendis in Christo patribus dominis ac magnificis veneralibus, generosis, nobiles et famatis: Andrea Roza de Boryszowice archiepiscopo Gnesnensi et primate Regni nostri, Bernardino Wilczek de Lubień electo ecclesiae Leopoliensi, Joanne de Konari Cracoviensi, Vincentio de Przeramb Vladislaviensi seu Cuiaviensi, Joanne de Ludbrancz Posnaniensi, Luca Varmiensi, Mathia de Drzewnica Premisliensi et vice-cancellario Regni, Alberto Vlnensi, Martino Miednicensi ecclesiarum episcopis, Spitkone de Jarosław castellano Cracoviensi, Joanne de Tarnow Sandomiriensi palatino, Joanne de Zabrzezie alias palatino Trocensi et mareschalco Magni Ducatus Lithvaniae, Nicolao Gardzina^a de Ludbrancz Calissiensi, Petro Myszkowski de Mirow Lanciensi palatinis. Stanislaw Janowicz castellano Trocensi et capitaneo Samogitiae, duce Hlinski mareschalco curiae nostrae Lithvaniae et capitaneo in Bielsko, Stanislaw Kiszka generali campiductore Magni Ducatus Lithvaniae, Stanislaw Hlebowicz palatino seu capitaneo Polocensi, Nicolao de Kościelec Brestensi, Nicolao de Kretkow Junivladislaviensi, Joanne de Tarnow Russiae, Nicolao de Kurozwanki Lublinensi, Prandota de Trezana Ravensi palatinis, Joanne Jarando de Brudzew Calissiensi, Joanne de Przeramb Siradiensi, Stanislaw de Chodecz Leopoliensi, Janussio Latalski Gnesnensi, Jacobo de Sziekluka Woyniciensi, Joanne Słupecki Sandecensi, Petro Szafranec de Pieskowaska Wisliciensis, Joanne Jordan de Zakliczyn Bieciensi, Stanislaw de Młodziejowice Radomiensi, Martino Skotnicki de Boguria Zawichostensi, Stanislaw de Potulice Miedzyrzecensi, Petro de Opałenica Landensi, Petro Górski Naklensi, Nicolao de Radzików Dobrzynensi, Stanislaw de Szrensko Wiznensi, Andrea de Oporow Kruświcensis, Petro de Niemysłów Ravensi, Paulo de Chodcza Polanecensi, Nicolao Myssopad Czechoviensi, Joanne Szamowski Konariensi castellanis. Joanne de Lasko cancellario, Jacobo de Szydłowiec thesaurario Regni nostri, Alberto Gorski scholastico Vladislaviensi, Nicolao de Bartniki custode Plocensi secretariis nostris, Nicolao Firley de Dąmbrowica vexillifero Cracoviensi et capitaneo Lublinensi, Alberto Skora de Gay Dobrinensi, Derslaw Wilczek de Lubień Leopoliensi, Stanislaw de Kazanów Lublinensi, Stanislaw Szafranec de Pieskowaska curiae nostrae succamerariis, ceterisque quamplurimis consiliariis universarumque terrarum nuntiis et regnicolis nostris testibus ad praemissa fide dignis sincere et fidelibus dilectis.

II. CONSTITUTIONES TEMPORALES RADOMIENSIS CONVENTIONIS GENERALIS PROXIME PRAETERITAE

Alexander Dei gratia Rex Poloniae etc. Universis et singulis praelatis spiritualibus et saecularibus ac palatinis, capitaneis, burgrabiis, terrigenis, iudicibus, subiudicibus ceterisque cuiuslibet status et conditionis hominibus, subditis nostris, ubilibet in Regno nostro et praesertim in terra Praemisliensi existentibus, sincere et fidelibus dilectis, gratiam nostram. Reverendissimi et reverendi in Christo patres, magnifici, generosi nobiles et circumscripti sincere et fideles dilecti. In conventionem Radomiensi proxime praeterita, ab octava Pasce ad octavam Sacratissimi Corporis Christi [30 III - 29 IV] nuper tenta, inter alia, ad felicem nostrum et Reipublicae Regni nostri statum decreta atque statuta meminimus, factam esse divisionem statutorum. Quarum una continet statuta perpetua et per nos sancita et alia per olim antecessores nostros decreta, praesertim vero constitutionum confirmationem Albertinarum aliorumque praedecessorum nostrorum, in praesentibus vero temporales continentur constitutiones, quae in alia proxime futura conventionem vel approbandae erunt ascribendeque perpetuis, vel in alium modum trans-

^a Bardzina *VL*.

ferendae. Verum, quia et istae temporales per nos vobis universis subditis nostris debeant intimari, idcirco exequendo decretum conventionis eiusdem Radomiensis ad constitutiones temporales publicitus factum, eas ipsas constitutiones temporales duximus per praesentes describendas, ut infra sequuntur.

[1]^a. De expeditione et defensione publica.

Defensio et expeditio publica sive bellica fiat semper de consensu consiliariorum Regni.

[2]. De modo resignationum et temporibus iudiciorum.

Resignationes in Maiori Polonia fiant secundum morem aliquarum terrarum. Et quod iudicia singulis quatuor temporibus iudicentur. Ubi autem ex legitima causa iudicari non possent, tunc liber terrestris cum officialibus ad haec more aliarum terrarum temporibus consuetis, in loco consueto, iaceat et exponatur, ubi omnia negotia iuxta morem terrarum disponentur et acticabuntur.

[3]. De loco tribunalis iudicii capitaneorum.

Capitanei iudicia non exerceant, nisi in districtibus, in quibus incolae et non in aliis respondere parereque tenebuntur, prout in statuto Joannis Alberti Regis.

[4]. De testamentis in bonis immobilibus et in bonis regalibus factis.

Testamenta, super bonis immobilibus facta, nullius sunt roboris, nullaue reputentur, legata etiam in summis pecuniarum super bonis regalibus inscriptarum, etiam ad pias causas, sine speciali regio consensu, sint irrita et invalida.

[5]. De iudeis ad officia non instituendis.

Iudei teloneis et tributis exigendis ceterisque officiis publicis non praeficiantur.

[6]. De non evocandis regnicolis per commissarios aut citationes apostolicas.

Citationibus et commissionibus Sedis Apostolicae regnicolae saeculares non evocentur, sed iure in Regno quisque de iustitia experiatur.

[7]. De excommunicatis maiori excommunicatione consilia conventionis generalis impredientibus.

Quod palatini, castellani ceterique in ordinem senatorum assumti, si excommunicati fuerint excommunicatione maiori, consiliis non intersint et consilia ipsis praesentibus non habeantur, et hoc, si excommunicatio iusta comperta fuerit per consiliarios, praesertim spirituales. Constitutio autem non extendatur nisi ad conventiones generales.

[8]. De vinis Ungariae.

Item de vino Ungarico per regnicolas non adducendo ex Ungaria, sed ut Ungaris sit licentia adducendi et inferendi, utque in permutationem plumbum reciperetur, constituendum vidematur non tamen determinatum nec poena constituta.

[9]. De inquisitoribus salis.

Item inquisitores salis extranei moderentur iuxta constitutionem Joannis Alberti Regis et modestiores se gerant circa huiusmodi salis arestationem.

[10]. De sale transmarino provisio decreta.

Item avisetur zupparius Russiae se defectu salis in terris Dobrinensi et Plocensi, ut provideret de sufficienti sale subministrando in terras dictas, alias zupparius Cracoviensis provide-

^a F. Bostel numerował w swym wydaniu poszczególne przepisy cyframi rzymskimi.

bit; interea tamen, quo sal huiusmodi ex Russia aut Cracoviensi [terra] non invehitur, sit liber usus salis cuiuscunque.

[11]. De officiis Regni in conventionem generali conferendis.

Item officia Regni sicut marschalcatus, cancellarius, thesaurarius, vicecancellarius dari non debent per Regiam Maiestatem nisi cum consilio consiliariorum Regni in conventionem generali.

[12]. De licentia seu recessu kmethonum et de iudicio eorundem recedentium.

Statutum quod nulli kmethonum liberum erit de cetero recedere a domino suo et de bonis residentiae suae domino invito aut inscio. Qui vero contra hoc statutum recedere sive fugere praesumerit, dominus, apud quem inventus fuerit, kmethonem restituere teneatur, nullius temporis praescriptionem evadendo. Ubi vero eum restituere noluerit, ad iudicium capitanei evocetur, ubi in primo termino, sicut in peremptorio, tenebitur respondere. Capitaneus vero debet per sententiam mandare kmethonem priori domino restituere cum poena trium marcarum iudicio et parti cogereque reum, ut in duabus septimanis pro poena satisfaciat. Si vero kmetho negaret, se unquam fuisse apud illum dominum, qui eum repetit, dominus debet probare contra eum, quod semper ipsius erat iuxta primum statutum.

[13]. De kmethone violenter recepto.

Si autem quis kmethonem alicui violenter receperit, coram capitaneo prout prius scriptum est conveniatur, cuius mandato kmetho restituatur cum poena decem marcarum parti solvenda ad quam etiam infra duas septimanas per eundem capitaneum debet cogi.

[14]. De libera kmethonis missione et quid decedendo domino loci debeat.

Si vero domino placuerit, kmethonem ex bona voluntate dimittere, extunc kmetho tenebitur solvere hospitale alias *gosczyne*, nec non et domum, septa et alia iuxta antiquum modum reformare et fideiubere.

[15]. De iudicio kmethonis recedentis quo ad terras Maioris Poloniae.

Nuntii tamen Maioris Poloniae petierunt, ut in tali casu fieret iudicium terrestris iudicii et quod iudicaret in terminis particularibus alias *na poroczki* similiter in primo termino peremptorio, in quo etiam tenebitur respondere et sententiam suscipere sub poenis superioribus.

[16]. De iudicio pro kmethone in Cracoviensi et Sandomiriensi terris.

Cracoviensis et Sandomiriensis terrae, quae non habent terminos particulares, sed iudicia fiunt solum quater in anno, primam viam tanquam promptioris^b et paratioris iudicii susceperunt ad iudicium pro kmethone.

[17]. De notato seu proclamato fure et alio nequam homine.

Ut unusquisque sub lege vivat, ac id, quod legibus contrarium esset, abiiciatur securitasque provideatur per legum precepta viventibus, ne mali bonos exercabili crudelitate invadant ad compescendam ergo rabiem grassantium et furta exercentium ad unius anni decursum statuimus, quod licet iure vetusto cautum fuerit de furibus compescendis, videbatur tamen et in praesentiarum sit constituendum, quod, quicumque fuerit semel proclamatus et modo infrascripto notatus, habeat expurgationem, sicut pro nobilitate. Si secundo inventus fuerit notatus, careat expurgationem et puniatur iuxta demerita facinorum.

[18]. De fure in duobus registris scripto.

Quicumque fuerit notatus, proclamatus et non revocatus bis hoc est in duplicibus registris, vel per duos fures, puniatur ut supra.

^b *Odczyt Bostla niepewny.*

[19]. De reclamatione notati.

Si aliquis fur et malefactor quempiam proclamaverit et ipsum viceversa reclamaverit, dixeritque innocentem, talis inculpatio non debet pro vera computari, debetque ex registris malefactorum deleri.

[20]. De infamato per capitaneum capiendo.

Si aliquis fuerit malae famae et capitaneus de eo haberet malam praesumptionem, non debet per capitaneum mancipari, nisi cum scientia et consensu palatini et castellani, unius ad minus aut amborum, de quorum consilio, ipsis etiam de eo male sentientibus, tanquam malefactor puniatur.

[21]. De auxiliis ad insequendum furem insecutori dandis.

Item quum capitaneus furem et latronem pro furto et spolio per se vel familiam suam fuerit insecutus, ad cuius villam fur et latro sic insecutus egressus fuerit, dominus villae tenebitur auxilium dare, ut capi possit, eumque insequi debebit, usque ad locum, ubi melius posset apprehendi; et hoc etiam intelligendum de incolis, quum domini absunt.

[22]. De fugitivis non per alium, quam per capitaneum capiendis.

Item saepe contingit, quod nobiles in vicinatu ex inimicitia et odio solent aliquos mancipare, et suspendere, fugientes per hae[c] poenam capitis occisi. Statutum est, ut non nisi capitaneus in talibus officia sua exerceat, contraveniens autem constitutioni poena capitis est puniendus.

[23]. De capitanei poena, dum admittit redimi captivum.

Item si quis capitaneorum et officialium furem et latronem, in furto et latrocinio deprehensum captumque pecuniis et muneribus redimere se ex captivitate permiserit, corruptusque muneribus eundem dimiserit, duobus testibus nobilibus possessionatis fidedignis se expurgare debebit, si autem se non expurgaverit, per Regiam Maiestatem puniatur ea poena, qua fuerat puniendus ille, quem dimisit.

[24]. De receptatoribus et fautoribus furum.

Item receptatores et fautores furum atque latronum pari poena puniantur. Statutum etiam et ordinatum, ut quilibet palatinus cum castellano et capitaneo aut vicecapitano in suo palatinatu singulisque eius districtibus faciat conventionem totius nobilitatis et faciat eam publicari in diebus fori et iudiciis terrestribus uno quartali anni ante diem convocationis^c non veniens, perpetuo fiat infamis, nisi fiat legitima causa, veluti aegritudinis, vel alia iusta, propter quam interesse et venire non posset, debebit autem testimonio sufficienti se excusare et cum excusatione pro die convocationis nuntium mittere. Die vero convocationis institute adveniente palatinus cum castellano districtus et capitaneo vel vicecapitano, adiunctis sibi de communitate duobus vel tribus probis et bene conservatis viris nobilibus vel officialibus terrestribus, faciat diligentem inquisitionem de singulis personis districtus illius, etiam filiis familias adultis, super eorum conservatione honesta et bona conversatione apud vicinos cuiuslibet. Et qui tenebuntur ad requisitionem praedictorum dominorum hae, quae sciunt vel audiunt, singuli de singulis, si bene et honeste vivunt et quod furtis rapinisque non intendunt, nec malefactores foveant, cum eisque non participant medio iuramento corporali determinate et expresse deponere. Praedicti vero domini singulos, aliquo maleficio vel crimine notatos ex depositione et testimonio huiusmodi vicinorum, quos poterint detinere et punire, cum auxilio aliorum detineant et secundum demerita puniant alias Regiae Maiestati deferant puniendos^d.

^c W rękopisie: convocationem.

^d Zamieścił tu Bostel w przypisie formuły trzech cytacji: o przestępstwo (maleficio), o kradzież i o naruszenie w posiadaniu, zaczerpnięte z 9 tomu *Aktów grodzkich sanockich, z lat 1516-1533*, s. 884. Pierwszej i drugiej Formuła processus z 1523 roku (VL, t. I, s. 411-413) nie posiada, trzecią zna w innej redakcji.

[25]. De rebus metallinis, cutum et aliis mechanicis Regno non inferendis.

Statutum, ut res quaelibet externi artificii in Regnum non inferantur nec invehantur, fiatque proclamatio per civitates et oppida, in locis praesertim Moraviae, Sleziae, Bohemiae Marchiaeque finitivis in diebus nundinarum et fori septimanalis, ne tales res adducantur sub poena amissionis earum. Res autem sunt istae: bursae, perae et aliae cuiuslibet maneriei ex cutibus, aerae sive materia cuprea, stannea, plumbea, aerea, ferrea aut lignea factae, exceptis armis, tellis, balistis et aliis bellicis instrumentis. Panni etiam sericei et linei excipiuntur. Constitutio atamen ad res diu importatas et in nundinis post proclamationem proximis importandas non extenditur, nec prius nisi post unius anni decursum a die finitae conventionis Radomiensis, quam libri cancellariae nostrae sabato post octavas Corporis Christi finitam et conclusam [31 V] perhibent, computando, statuti praesentis executio incipiet.

Quapropter ad omnium, quorum interest notitiam praesentia statuta temporalia innotescimus, alia vero, perpetuo duratura in speciali volumine subappenso sigillo sigillata, cum primum earum elucubrabuntur concordantiae per universum Regnum daturi sumus in proximo, sicut in conventionem ipsa Radomiensi facienda decrevimus vobis omnibus suprascriptis subditis nostris, quo ad executionem eorundem temporalium statutorum harum serie descriptorum mandantes quatinus quilibet vestrum sic istis satisfaciat, ut debet. Vos vero locorum capitanei mox visis praesentium litteris constitutiones istas temporales proclamari faciatis pro diebus locis et temporibus, ut infrascripta videbitis contineri informationem. Et tam praesentibus, quam perpetuis illis Radomiensibus institutis intererant aderantque praesentes in Radom die quo supra, anno vero praesenti infrascripto, reverendissimi et reverendi in Christo patres domini ac magnifici, venerabiles, generosi, nobiles et famosi Andreas Roza de Borzyschewicze, archiepiscopus Gnesnensis et primas Regni nostri, Bernardinus Wilczek^e de Lubyen, electus ecclesiae metropolitanae Leopoliensis, Joannes de Conary Cracoviensis, Vincentius de Przeramb Wladislaviensis, Joannes de Ludbrancz Posnaniensis, Lucas Warmienses, Mathias Premisliensis et Regni Poloniae vicecancellarius, Albertus Vilmensis, Martinus Mednicensis ecclesiarum episcopi, Spithko de Jaroslaw castellanus Cracoviensis, Joannes de Tharnow Sandomiriensis pallatinus, Joannes de Zabrzezie alias pallatinus Trocensis et marschalcus Magni Ducatus Litwaniae supremus, Nicolaus Gardzinja de Ludbrancz Callisiensis, Petrus Mysskowski Lanciciensis pallatini, Stanislaus Janowycz, castellanus Trocensis et capitaneus Samagiteiae, dux Michael Glynsky marschalcus curiae nostrae Litwaniae et capitaneus in Byelsko, Stanislaus Kysska generalis campiductor Magni Ducatus Litwaniae, Stanislaus Hlebowycz pallatinus seu capitaneus Polocensis, Nicolaus de Coszelec Brestensis, Nicolaus de Crethkow Juniwladislaviensis, Joannes de Tharnow Russiae, Nicolaus de Curozuankij Lublinensis, Prandota de Trezana Ravensis pallatini, Joannes Jarand de Brudzow Calisiensis, Joannes de Przeramb Siradiensis, Stanislaus de Chodecz Leopoliensis, Janussius Lathalski Gnesnensis, Jacobus dictus Szyekluka^f Woynycensis, Joannes Slupieczki Sandecensis, Petrus Saffranyecz de Pyeskowaskala Visliciensis, Joannes Jordan de Zaklyczin Byecensis, Stanislaus de Mlodzeowycze Radomiensis, Martinus Skothnyczki^g dictus Boguria Zavichostensis, Stanislaus de Potulycze Myedzirzecensis, Petrus de Opalenijcza Landensis, Petrus Gorski Naklensis, Nicolaus de Radzykow Dobrinensis, Petrus de Nyemyglow Ravensis, Paulus de Chodcza Polanecensis castellani, Joannes de Laszko cancellarius, Jacobus de Sydlowycz thesaurarius Regni Nostri, Albertus Gorski scholasticus Wladislaviensis, Nicolaus Fierley de Dambrowycza vexillifer Cracoviensis et capitaneus Lublinensis, Nicolaus de Barthniki custos Plocensis, secretarii nostri, Derslaus Wylczek de Lubien Leopoliensis, Albertus Scora de Gay Dobrinensis, Stanislaus de Cazanow Lublinensis, Stanislaus Saffranyecz de Pyeszkowaskala curiae nostrae succamerarii ceterique quam plurimi consilarii et regnicolae nostri testes ad praemissa fidedigni sincere et fideles dilecti. Datum Cracoviae per manus praefati venerabilis Joannis de Laszko Regni Poloniae cancellarii sincere dilecti feria quinta in vigilia Sancti Jacobi Apostolis [24 VII] anno Domini 1505, regni nostri anno quarto.

^e W rękopisie: Wylczek.

^f W rękopisie: Szyeklyka.

^g W rękopisie: Slothnyczki.